



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 182. Sommersetus in prælio occisus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1455.

§. CLXXXII.

*Sommersetus Dux in prælio
occisus.*

Attamen vix initium pugnae datum, cum Varcicensis Comes Richardi Filius in Regis copias primo tantoque impetu sese effunderet, ut nec supremus Regii exercitus Dux, nec ceteri Belliduces turbatam ubique aciem restaurare possent; cumque nec ultra obfirmata etiam pugnandi voluntas proficeret, Regis exercitus omnino profligatus est, octo eorum millibus desideratis, quos inter ipse Sommersetus Dux, Cliffordiensis Baro, Staffordiæ ac Northumbriæ Duces numerabantur, Bukingamiæ vero Dux, quamvis saucius, cum ceteris quibusdam nobilibus fuga elapsus est. Rex autem a suis derelictus, ad tuguriolum quoddam confugit, ubi tamen brevi conclusus, victoris manibus sese tradere compellebatur. Richardus simulata reverentia infortunato huic Monarchæ urbanitatis officia exhibebat, eumque de Ministri sui morte afflictum solaturus, Sommerseti interitu solium suum magis firmari affirmabat, Regemque equo vectum ipsus Londinum reducebat.

§. CLXXXIII.